

Quapropter neque *inutiles*, neque *abusivae* aut *irritae* eiusmodi clausulae censi debent.

Quare nec omnes iurisperiti Galli adversariis consenserunt. Inter caeteros adnotator Fevreti apprime exponit hunc dispensationis in radice indirectum effectum scribens : « Doctores appo-
» munt in hac materia distinctionem : *utrum summus pontifex*
» *dispensaverit simpliciter, vel in radice*. In primo casu in-
» fantes incestuosi legitimated non sunt *per matrimonium subse-*
» *quens* : rescriptum enim hoc in casu nullum habens effectum
» retroactivum in illorum favorem, in altero vero casu legiti-
» mationem obtinent ; quia tunc beneficium seu gratia pontificis
» *etiam ipsos comprehendit*, et eiusmodi dispensatio in radice
» eundem producit effectum ac si obtenta fuisset *ab initio*, et
» per consequens filii ante relaxationem procreati fiunt capaces
» omnium iurium, ac temporalium utilitatum. Ratio vero est,
» quia Pontifex non concedit rescriptum legitimationis, sed
» aufert impedimentum matrimonii inter coniunctos ; quod
» quidem impedimentum cum sit iuris ecclesiastici, etiam ex
» potestate clavium removeri potest, et matrimonium reduci ad
» terminos iuris naturae.... Ista regeneratio per dispensationem
» in radice efficit, ut proles vere legitima sit et ex vero ac
» legitimo matrimonio suscepta.... ideoque succedit iure pro-
» prio et naturali, neque attendi potest tertii praeiudicium,
» sicut non attenderetur, si revera proles ex legitimo matrimo-
» nio, impetrata ab initio dispensatione, procreata fuisset (43). »

(43) In notis 1. et 2. ad lib. V. op. Caroli Fevret cui tit. *Traité de l'Abus* chap. III. Lyon 1756, tom I. pag. 473 seq. ubi ad ius rei confirmationem et declarationem plures affert auctores sive theologos sive canonistas, sive iuriconsultos. Cum vero praemisisset ex l. 2. et 3. c. *de iure nat. anal.* « Vel instar adoptionis, quae *naturae imago* vocatur, in L. folio 25. ff. de liber. et posth. » et ideo omnia filiationis et familiae iura tribuebat olim adoptatio, nam fictio in casu ficto idem operatur ac veritas in vero : fictio enim est legis adversus veritatem in re possibili ex iusta causa dispositio. » Subiicit verba Gotofr. ex Alciat. ad rubric. ff. de prob. « Quae analogia (adoptionis) bellissime convenit dispensationi in radice : vel tandem sicut baptismus eluit omnem infectae originis labem non solum quoad culpam, sed etiam quoad poenam, ita et ista » *παλιγγενεσία* seu regeneratione per dispensationem in radice, efficitur ut

Verum in praesenti rerum ordine, qui in Europa aliisque regionibus ut plurimum obtinet, res aliter se habet. Nam si iuxta Benedictum XIV. sanatio in radice restituit coniugium in statum pristinum, quem haberet, si impedimentum non extitisset, plane consequitur, quod si coniugium religiosum non producit effectus civiles, dispensationem datam a pontifice Romano haud posse eos restituere. Quapropter si contrahentes, qui relaxationem obtinuerunt, formalitatibus, quas civiles vocant, satisfecerunt, tunc civilibus effectibus independenter a sanatione fruuntur : sin vero illas praetermiserunt, proles illegitima in foro civili esse perseverabit, non obstante quavis sanatione coniugii in radice.

Semper tamen pontificia dispensatio obtinebit effectus suos in ordine spirituali, cum id unice ab Ecclesia dependeat.

Tales sunt effectus, qui sive directe sive indirecte ex sanatione radicis matrimonii proveniunt.

CAPUT V.

De Ecclesiae potestate in causas matrimoniales ac in sponsalia.

ARTICULUS I. — Causae omnes matrimoniales, quae intimam contractus naturam attingunt, ad solos ecclesiasticos iudices spectant.

Marcus Ant. De Dominis, Launoius, Tamburinius, Litta, Nestius, novissime vero Nuytz (1), uno ore causas matrimoniales

» proles vere legitima sit, et ex vero ac legitimo matrimonio suscepta, et capax
» omnium iurium legitimis competentium. » Et tamen hic annotator solet se iuribus apostolicae Sedis hostilem praebere.

(1) En eius verba in op. *Il professore Nuyts ai suoi concittadini*. Torino 1852. cap. VII. « Proposizione condannata in Brevi Pii IX : le cause *matrimoniali* e di *sponsali* di loro natura appartengono al foro civile. Acceto la proposizione, et la sostengo. » Ne quis vero benigne interpretaretur, eum loqui de causis ipsi vinculo extrinsecis, quid per illas significaverit, ipsemet exponit his verbis : « Hanno nome di matrimoniali quelle cause in cui si disputa o della *validità* di un matrimonio, o della *separazione* de' coniugi, si per oggetto di sola abitazione distinta, si per oggetto di *rompere il vincolo* con facoltà di far altro matrimonio » et haec qui *catholicum* se esse profitetur.